





1730 10  
ORDINIS JURE CONSULTORUM  
IN ACADEMIA GRYPHICA H. T. DECANUS,  
**PHILIP. BALTHASAR GERDES,**  
Regii Consistorii per Rug. & Pom. Svecicam Director,  
Juris Prof. Ordin.

Ad  
INAUGURALEM JURIDICAM DISSERTATIONEM  
De  
**POENIS USURARIÆ PRAVITATIS**  
PRÆSERTIM IN POMERANIA,

A  
NOBILISSIMO JURIS CANDIDATO  
**MICH. NICOL. EICHMAN,**  
Illustris Regii Dicasterii Advocato  
elaboratam.

pro summis in utroque jure honoribus, Privilegiis, ac  
immunitatibus rite & solenniter consequendis,  
ad d. 30. Sept. 1730. in Auditorio Majori publice ventilandam,

MAGNIFICUM DN. RECTOREM,  
GENEROSISSIMUM DN. PROCANCELLARIUM,  
ILLUSTREM ET PRÆNOBILISSIMUM REGII DICASTERII  
ET ACADEMIÆ SENATUM,

tum quoque  
AMPLISSIMUM URBIS MAGISTRATUM,  
juxta &  
REVERENDOS VERBI DIVINI MINISTROS,

denique  
Omnes, qui Literis dediti sunt,  
perofficiose invitac.

---

GRYPHISWALDIÆ,  
Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII, R. A. T.

I. N. D.

**F**orum, qui Clerici audiunt, de Orthodoxia doctrinae iudicium non semper infallibile esse, multis exemplis constat. Equidem Pontifex Romanus, utpote commentarius in his terris CHRISTI vicarius, in causis fidei supremum se arbitrum constituit, & in definiendis fidei articulis infallibilitatem sibi adscribit. Hinc Papa a seculo & parafiti, quando asserunt, Ecclesiam errare non posse, per Ecclesiam Pontificem Romanum intelligunt, qui ipse est Ecclesia representativa. Idem conciliis infallibilitatem tribuentes, eam non tam congregatorum Clericorum cetui quam soli Papa inesse existimant, quia iuxta Cap. 4. X. de Electione & Electioni potest: omnia concilia per Romani Pontificis auctoritate facta sunt & robur acceperunt. Itaque primum & summum Pontificis religionis principium est, Pontificem Romanum in determinandis controversiis Theologicis super Articulis fidei errare non posse. Etenim, teste 3<sup>o</sup> FRANCISCO BURSATO lib. 1. Consil. 110. n. 10., Papa soli concessum est privilegium, ut errare non possit, sed omnia iura in scrinio pectoris gerat, Cap. 1. de Constit. in 6to: hinc impium fluxit assertum BELLARMINI L. 4. de Pontif. Cap. 8. Si Papa, dicens, erraret, precipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneret Ecclesia credere vitia esse bona & virtutes malas, nisi velit contra conscientiam peccare. At enim vero hactenus nullum non errandi privilegium Pontifici Romano competens produci potuit, nec de eo constat. Fundamentum infallibilitatis, quod in fabulosa Petri successione & ficto CHRISTI vicariatu constituitur, est maxime ruinosum & caducum. Veritas rerum gestarum, quae optima est probatio, plenissime probat, Pontifices Romanos in determinandis fidei dogmatibus turpiter sepe lapsos & hallucinatos esse. Praesens scriptio non permittit per plura exempla fallibilitatem Pontificum Romanorum in iudicanda orthodoxia doctrinae ostendere, vice omnium consuli potest Summus Theologus B. GERHARD, qui in Confessione Catholica L. 1.

P. 2. c. 1. 2. 3. & 10. multos errantes Pontifices & Hereticos nec minus conciliorum aberrationes exhibet. Praefens Dissertationis Thema luculentum ejus rei documentum praebet, quippe ex prohibitione usurarum in univ. sum per Pontifices Romanos & concilia facta manifestum est, Pontifices Romanos pariter & concilia errare potuisse. Jure Civili usuras legitimas licitas esse & approbari notissimum est. Sed Canonistae non solum eas illicitas habent, verum ut hereticis quoque inclementer dicunt omnibus, qui pro usuris unquam steterunt. Primum quidem clericis tantum interdictum est, usuras accipere. Sic in Can. Apost. 36. canum est, Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, qui usuras exigit ab iis, qui mutuo accipiunt, vel cessat, vel deponatur, quod in concilio Eibertano confirmatum est, can. 5. dist. 47. add. can. 2. dist. 47. postea haec prohibitio ad Laicos est extensa & severissime poena in omnes, qui usuras, vel legitimas, acceperint, quos indistincte usurarios dixerunt, constituta sunt, uti ex titulis de usuris x. & in 6to apparet. Patres quoque in scriptis suis usuras in genere damnarunt, ceu constat ex can. 10. caus. 14. qv. 4. & can. 3. caus. 14. qv. 3. item can. 1. caus. 14. qv. 3. Tandem in clem. unica de Usuris ex Concilio Viennens. sub CLEMENTE V. dicitur, puniendos esse veluti hereticos, qui negant, usuram legitimam accipere, esse peccatum, quo ipso doctrina de prohibitione usuris inter articulos fidei relata, & hac ratione Jcti, qui leges Justinianicas sequuntur, pro hereticis declarati sunt. Unde Jurisconsultus MOLINAEUS, in Tract. de Usuris, primum sub e mentito nomine CASPARIS CABALLINI ao. 1576. quasi Venetiis sine ullo Typographi nomine impresso & edito, contendens, non omnem usuram esse illicitam, sed eam tantum, quae est excessiva, eapropter a Pontificiis heretici nomen commeritum est, dogmasq; illud haereticum & impium dixerunt. Sin indagemus rationes, quibus patres & Pontificii permoti omnes plane usuras damnarunt, tum quidem deprehendimus, eos ad dicta Sacra Scriptura & Veteris Testamenti provocare. Verum zelum

*zelum Pontificum in usuras non sine pia fraude fuisse, jam ao. 1472. animadvertit Pontificus Jctus PETRUS de FERRARIIS in praxi tit. form. Lib. in aq. hypoth. pag. mihi 380. confidenter satis, ex aliorum quasi judicio, vere autem ex sua sententia ita scribens, nimia clericorum multitudo & nimia usurariorum prohibitio statum destruit Laicorum, & pag. seq. in omnibus autem acquiescendum est decisioni sanctæ matris Ecclesiæ & Theologorum sententiæ, creditur tamen à pluribus contra, ideo Clerici simul convenerint sic acriter prohibere usuras contra sanctiones Imperiales, ut Laicos eorum Jctioni submitterent, sic & in diversis casibus submittere studuerunt. Interim Pontificiorum usuras damnantium opinioni, in papatu instar fidei articuli adhuc obtinenti, sub initium reformationis ipse LUTHERUS favit & hunc alii Augustanæ Confessionis Theologi secuti omnem in universum usuram oppugnarunt. Nonnulli quoque ex Reformatis huic sententiæ accesserunt. Sed hodie longe alia de Orthodoxia Doctrina hujus opinio dominatur. Etenim nunc omnes pene Theologi pariter ac Jcti concedunt, clericum æque ac laicum sine peccati labe legitimas usuras ab iis, qui nostra pecunia cum lucro usi sunt, accipere posse. Quinimo Clerici, Vidua, pia loca in genere, usuris hodie sustentantur, conf. MARTINUS SCHÖCKIUS in Exerc. 28. de usura trapezitica, ubi solide, refutatis contrariis, evincit, usuras non adversari scripturæ; deinde æquitati naturali consentaneas esse. Si quis hætenus adducta sobrie expendit, facile agnoscat, Papam & Clerum in definienda Orthodoxia doctrinæ errare posse & errasse, hinc omnes caput cerebro vacuum vel sane turbatum habere, qui instar impudentissimi Papæ, indecidendis fidei causis, & condemnandis aliis ex hæresi judicium infallibilitatis stulte & scurriliter sibi arrogat. Sed presentis instituti ratio non patitur ulterius progredi, potius pro more recepto naturales & vitam laudabiliter peractam Nobilissimi CANDIDATI DN. MICH. NICOL. EICHMAN recenseam. Cum vero ipse DN. CANDIDATUS ea suis verbis expressit, ita illa, uti accepi, nunc subjiciam.*

Editus

Editus sum in lucem Gryphiswaldiz 1700. die 3. Dec. Patrem,  
 per DEI gratiam adhuc superstitem, veneror DN. CHRISTOPH.  
 EICHMANN, J. U. Licent., & hujus Civitatis Consulem multos per  
 annos jam meritissimū. Mater, SOPHIA CATHARINA SIRICEN,  
 MICHAELISSIRICH, S. S. Theol. olim Doct., & Profess. Academ.  
 Rostoch. Consistorii, quod ibidem est, Ducalis Consiliarii, postea  
 Concionatoris Aulici, & Districtus Güstrovienf. Superintendentis,  
 dum viveret, vigilantissimi, filia natu minor, jam dudum non sine  
 insigni afflictu mei, meorumq; in vivis esse desit. Prima cura Paren-  
 tum fuit, ut mihi per Bapismatis lavacrum regenito postmodum, cre-  
 scente etate, fidei insillarent rudimenta. Secunda cura Parentum eo  
 tetendit, ut, animadvertentibus illis propensionem quandam in  
 artes liberales, studiis me destinaverint. Scholam igitur Patriam in-  
 gressus, usus sum informatione fidei B. DN. Mag. P. WESTPHAL,  
 tunc Scholæ Rectoris, dein Ecclesiastes ad Ædem Nicola. item DN.  
 Mag. THEOD. BATTI, tunc Conrectoris, postea ejusdem Scholæ  
 Moderatoris, jam quoque Verbi divini sum de DN. JOH. ENGEL-  
 BRECHTEN, olim Con Rectore, nunc Rectore. His Viris auspi-  
 cibus, eos paucatim in studiis facere licuit progressus, ut, consecra-  
 tione secundo in anno 1717. die 7. Nov. publicè habita, dignus judi-  
 catus sim, qui ad altiora studia dimitteret. Habita itaque prius  
 Oratione valedictoria de Virtute, optimo Reipublicæ fundamento,  
 Patriam elegi Academiam, & ao. 1718. die 1. April. Rectore Magni-  
 fico DN. THEODORO HORNIO, in Album Studioforum receptus  
 sum. Quo autem eo feliciter studia succederent, Themidi sociam  
 junxi Philosophiam, & non solum Collegium privatum lectorio-exa-  
 minatorium ( silentio ut involvam publica ) ad Instit. Justin. apud  
 DN. Doct. H. C. GERDESIUM, Prof. Jur. Reg. Consist. per Pomer.  
 & Rug. Directorem, in cineribus mihi adhuc devenerandum, adivi,  
 sed & sub manu ductione DN. ANDR. WESTPHAL., Prof. Histor.  
 & Moral. Collegium Logicum, Ethicum, Politicum, junctis insimul  
 Historicis, utpote Geographico ad HÜBNERUM, Collegio Historiæ  
 Pomeraniæ, aliisque, frequentavi, quibus postmodum Collegia Juris  
 Naturæ

Naturæ atq; Politic., olim jam audita, repetitionis vice addidi. Nec prætereundum Collegium Physicum experimentale ad LOESCHERUM sub ductu Dn. Doct. LEMBKEI, Profess. & Physici hujus Civitatis, habitum. In Mathematicis publicè Astronomiam docentem audivi Dn. JEREM. PAPKEN, Profess. Mathem. In Gallica Lingva addiscenda per annum, & quod excurrit, me erudit Dn. ALBERTUS SCHWARTZ, tunc temporis Magister privatus, jam Facult. Philos. Adjunctus. His disciplinis præunitus totum me Jurisprudentiæ applicavi. In qua excolenda pependi ex ore Dn. PHIL. BALTH. GERDESII, Doct. & Profess. Juris & Reg. Consist. per Pom. & Rug. Direct. ac sub Ejus auspicio non solum Collegium privatum Leg. examinatorium ad Inst. Just., sed & totum Cursum Juridicum cum fratre absolvi, ut præteam Collegia publica tam ad Const. Crim., quam ad STRUV. Jurispr. ab Illo prælecta, quibus, ut & Coll. privat. Disput. ad Inst. Justin. magna cum voluptate interfui. Nec minorem debeo gloriam ac reverentiam Dn. A. C. HELVIGIO, Jur. Prof. Ord. & Reg. Consistorii Asses., cujus integritatem, solidamque informationem in prælegendo successionem ab Intestate ex Jure novissimo, & Jus feudale ad ductum Dn. STRYCKII grato etiam num exosculor animo, quemadmodum & Illi acceptum fero, quod fuerim Opponens Disputationis suæ Inaug. de Dote æstimata, quas vices & alias sustinui. Sic absoluto Juris cursu in Patria Academia, socio tam itineris, quam studiorum, fratre germano juncto, Jenam accessimus. Jenæ occasio mihi contigit Jus publicum audiendi, prælegente Dn. Doct. BUDERO ad Kemmerichium, Cui Collegio inter alia junxi Mathesin. Absolvissem totum cursum Mathematicum, nisi Dn. AUGUST. GRISCHOW ad munus Profess. Berolinum avocatus fuisset, id quod me zgrè habebat. Pertractatis & hic, quæ pertractanda erant, Optimus Parens jubebat peregrinationem conjungere, quam nobis non infructuosam putabat. Hinc in consilium adhibito Dn. SCHMIEZELIO, Prof. Hist. Jenens., itineris societatem cum fratre meo germano, & duobus Dn. GERHARDI inii. Sic, DEO duce, celebriores Germaniæ Civitates & Academias perlustravimus, & relicta Jenensi Musarum sede contendimus Vinariam, Erfordiam, ubi inter alia B. LUTHERI Cella nobis fuit ostensa. : Hinc Gotham, ubi



ubi varii, rarissimiqve generis, & in magna quidem copia numismata ab Inspectore & Secretario Ducali nomine Lūse nobis sunt monstrata. Abhinc Iſenacum, ubi ex gratia Ducis ad conſpectum Convivii Ducalis admiſſi ſumus, ibiqve arcem, extra urbem ſitam, Wartenburg dictam, ubi quondam LUTHERI Pathmus fuit, frequentavimus, inde Caſſellam pervenimus, ubi tam exquisitiſſimam Bibliothecam, quam alia curioſa viſendi nobis copia fuit. Porro acceſſimus Marturgum & Gieſſam, ubi in Colloquium Dni. Profeſſorum admiſſi & priori in loco vidimus feretrum S. Eliſabethæ ex puro argento conſectum, pretioſis gemmis diſtinctum, & copioſe inauratum, cujus pretium 6. tonnis auri æſtimatur. Hinc Wetzlarium ſedem Judici Camera viſere nobis contigit. Iter porro fecimus Francofurtum ad Mœnam, ubi inter alia aurea bulla nobis oſtenſa. Moguntii Templum, Cænobio Carthuſianorum adſcens, in eoqve pretioſa ſubſellia, aliæqve ornamenta nos in magnam traxerunt admirationem. Abhinc proſecti Hanoviam, Herbipolim, Noribergam, & ubiqve locorum maxime notatu digna obſervavimus. Altorffii non ſolum copia nobis fuit Dni. Profeſſores legentes audiendi, ſed & Eorum fruendi colloquio. Abhinc Egram & Thermaſ Carolinas adivimus. Dreſdæ Regiam Bibliothecam, aliæqve pretioſa, ibidem occurrentia, perluſtrandi nobis facultas contigit. Porro per Miſniam iter fecimus Lipſiam, ibiqve, viſis tam Bibliothecis, quam aliis notatu dignis, nobis occaſio fuit non ſolum Dni. Profeſſores ibidem legentes audiendi, ſed etiam cum illis colloquendi honor datus. Abhinc ſequenda redeundi animus erat, iter proſecti ſumus Halam, ibiqve DN THOMASTUM, GUNDLINGIUM, LUDWIGIUM, BÖBERUM, FLEISCHERUM, WOLFFIUM, alioſqve legentes audivimus, nec nobis defuit Eorum colloquio ſtudi. Wittebergæ legentes audivimus DN. DOCT. WERNHER, tum temporis Rect. Magnificum, DN. WERNSTORFFIUM, jam ad Cœlites beatum, SPENERUM, alioſqve. Illinc acceſſimus Serveſtam, Magdeburgum, Helmſtadium (ubi noticiam Dni Profeſſorum, imprimis DN. AUGUST. LEYSERI & HEISTERI, nobis acquiſivimus) Guelpherbytum. Hic nobis copia fuit videndi Bibliothecam exquisitiſſimam, omnes, quas ante hac viſeram, bibliothecas

thecas librorum copia superantem. Deinde Brunsvigam, Hannoveram, Cellam, Bremam, Stadam, Hamburgum, Lubecam, Wilmariam, Roskochium affecuti sumus, observatis, quæ quovis loco deprehenduntur, notatu dignis. Sic, DEO duce, itinere cum focis felicitus pereacto, ad patrios redii Lares. Effluxo anni, & quod excurrit, spatio, repetito studiorum cursu, praxi me destinare animum induxi, eumque in finem Illustri Regio, quod hic viget, Dicasterio desiderium meum aperui, quod quoque, prævio consueto examine, in Anno 1726. die 3. Decembr. in numerum Advocatorum me recipere non dedignatum est. Cui quidem studio præficio & hæcenus fui intentus.

Et quoniam DN. CANDIDATUS in Patria præprimis Academia vitæ probitate morum modestia & permulta diligentia in studiis se omnibus commendavit, inde conveniens esse judicavit, ut apud nos studiorum præmia decenter peteret. Ad examina admissum, talem invenimus, qui theoriam cum praxi feliciter junxit & ad edenda publica in jure specimina produci mereatur. Itaque habitis prius Lectionibus Cursoriis ad l. 6. ff. de pactis, die 30. Septembr. a. c. Disputationem Inauguralem de Pœnis Usurariæ Pravitatis præsertim in Germania habebit. Cui actui solenni ut cuncti literarum literatorumque Patroni, Fautores & Amatores præsentia sua splendorem concilient, Facultatis, meo & CANDIDATI nomine humanissime oro rogoque.

P. P.

Sub Sigillo Facultatatis Juridicæ  
die 30. Septembr. 1730.

Greifswald, Diss., 1726-32

ULB Halle


004 529 650



3

f  
sb.





1730 10

ORDINIS JURE CONSULTORUM  
*IN ACADEMIA GRYPHICA H. T. DECANUS,*  
**PHILIP. BALTHASAR GERDES,**  
Regii Consistorii per Rug. & Pom. Svecicam Director,  
Juris Prof. Ordin.

*Ad*  
*INAUGURALEM JURIDICAM DISSERTATIONEM*  
De  
**POENIS USURARIÆ PRAVITATIS**  
PRÆSERTIM IN POMERANIA,

*A*  
*NOBILISSIMO JURUM CANDIDATO*  
**MICH. NICOL. EICHMAN,**  
Illustris Regii Dicafterii Advocato  
*elaboratam.*

pro summis in utroque jure honoribus, Privilegiis, ac  
immunitatibus rite & solenniter consequendis,  
*ad d. 30. Sept. 1730. in Auditorio Majori publice ventilandam,*

MAGNIFICUM DN. RECTOREM,  
GENEROSISSIMUM DN. PROCANCELLARIUM,  
ILLUSTREM ET PRÆNOBILISSIMUM REGII DICASTERII  
ET ACADEMIÆ SENATUM,

tum quoque  
AMPLISSIMUM URBIS MAGISTRATUM,  
juxta &  
REVERENDOS VERBI DIVINI MINISTROS,

denique  
Omnes, qui Literis dediti sunt  
perofficiose invitatur.

---

GRYPHISWALDIÆ,  
Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII, R. A. T.